



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

22. An supradictæ denunciationes faciendæ sint ante confessionem, ita vt
non possit Confessarius aliquam absoluere, nisi prius denunciaret; vel
sufficiat vt promittat denunciare? Ex part. 1. tract. 4. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

3. Notandum est tamen hic cum eodem Sancio ubi *supra*, num. 64. quod si femina, quæ jam censuram incurrit, denunciationis præceptum adimpleat, poterit virtute Bullæ cruciatæ à quocumque Confessario absolvi à censura, nam satisfacta parte absolvendi privilegium ab omnibus censuris traditur in Bulla, vel à Regularibus virtute privilegiorum, nec indigebit femina fateri Inquisitoribus in Sacramento Pœnitentiæ, nec extra se negligentem fuisse in denunciatione, quod est valde observandum, quia quotidianum, & hoc procedit in omnibus aliis casibus contentis in edicto.

RESOL. XXII.

An supradictæ denunciations faciendæ sint ante confessionem, ita ut non possit Confessarius aliquem absolvere, nisi prius denunciaret, vel sufficiat, ut promittat denunciare? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 27.

Quod hoc §. 1. legi doct.
Affirmativam sententiam docuit Avila de *conf. par. 2. cap. 7. dub. 7. in fin.* ubi sic asserit: [In rebus gravibus, præcipue si pœnitens sit homo ordinarius, curandum est, ut prius denunciaret. Et hoc, licet nondum incurrisset excommunicationem: quia, si prius obinuerit absolutionem, facile solet id omittere: in casibus autem Inquisitionis remittendus est pœnitens, ut prius denunciaret, ut præcipitur Edicto Inquisitorum.] Ita Avila.

2. Sed hoc limitat Zanardus in *direct. Theol. part. 2. præcep. 2. cap. 1. in fin. fol. mibi 148.* nisi necessitas communionis urget, & persona sit timorata conscientiæ & promittat; quam citius denunciare. Idem etiam docet Emmanuel Rodriq. in *summa, tom. 2. cap. 34. n. 6.* ubi sic ait: [Deven notar los Confessores, que quando algun penitente les dixere, que sabe Fulano, haver dicho una heregia, le han de obligar à yr luego à los Señores Inquisidores à denunciar del, y no le pueden absolver, sin que primero se haga la dicha denunciaciõ, pudiendose luego comodamente hazer, porque no se pudiendo poner en execuciõ, basta que lo prometa:] Et Peirinus, qui novissime scripsit in *priv. Minim. to. 1. Confess. §. Greg. XV. §. 9. n. 24.* asserit, esse absolvendam illam pœnitentem, quæ firmiter promittit denunciarum Confessarium: si addit causam, propter quam prudenti Confessario videatur, denunciationem esse differendam. Et Sanctarel. *tract. de hæres. cap. 9. dub. un. n. 16. in fin.* ex Navarro, testante de praxi Sacre Pœnitentiariæ, asserit, sufficere saltem propositum firmum denunciandi: & loquitur de denunciando hæretico. Vide etiam Sancio in *Selectis disp. 11. n. 62.* & Portel. in *addit. dub. regul. verb. sollicitare feminas, n. 24.* ubi aliqua verba, ex incuria Typographi, desiderantur: & Ortiz in *summa, cap. 24. n. 11.* cum aliis.

RESOL. XXIII.

An femina post incursum excommunicationem, quia non denunciavit Confessarium sollicitantem sit absolvenda virtute Cruciatæ, si promittat illico denunciare?

Et notatur non esse absolvendum, qui excommunicatur, donec ejiciat concubinam, nisi prius sit expulsa, nec sufficit, quod promittat expellere. Ex part. 4. tract. 5. Ref. 35.

Quod hoc §. 1. legi doct.
Videtur affirmative respondendum ex Lucio in *summa cap. 24. n. 11.* qui, ut refert Freitas in *tract. de Confess. sollicit. q. 21. n. 25.* asserit feminam sollicitam absolvi posse virtute Bullæ ab excommunicatione quam contraxit ob omisam denunciationem, Tom. V.

dam tamen cogatur à Confessario denunciare Inquisitoribus, & in hac sententiam videtur inclinare Freitas ubi *supra*, n. 21. cum Rodriguez, sicut retinens rem alienam potest absolvi bis, & ter cum proposito restituendi, & confirmari potest, quia contumax eo, quod non vult ad iudicium venire, potest absolvi si cautionem de stando iudicio præstiterit; ergo similiter qui promittit denunciare.

2. At his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Sancio in *Selectis disp. 11. n. 62.* Avila de *conf. par. 2. cap. 7. dub. 7. in fine*, & novissime Egidius Trullench. in *Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 9. n. 11.* quia ait ille, in re tam gravi non est facile adhibenda fides promittenti denunciare, & contraria sententia licet stando in jure communi sustineri posset, & attenta solum natura præcepti: at supposita excommunicatione tenenda non est, nam cum à peccatis nemo absolvi valeat, nisi à censura antea immunis sit, & à censura illa absolvi nequeat per Bullam, nisi prius satisfacta parte, videlicet Inquisitoribus, sit ne semel quidem feminam fore absolvendam, & ideo si femina confiteatur post habitam notitiam delicti, & post terminum lapsum negligentem se fuisse in delatione criminis, ne quidem semel absolvi poterit (iusta tamen causa non intercedente, de qua diximus in loco citato) quamvis fidem det se illico denunciaturam: sicut non est absolvendus, qui excommunicatur, donec ejiciat concubinam, nisi prius expulsa, nec sufficit quod proponat expellere, ut docet Suarez de *conf. disp. 7. sect. 5. num. 45.* Guttierrez in *qq. Canon. lib. 1. cap. 5. n. 30. & 31.* Sotus in *4. dist. 22. q. 2. art. 3.* & alij. Vide Sancio & Trullench. locis citatis.

RESOL. XXIV.

An si Edictum non publicetur, teneatur adhuc femina Confessarium sollicitantem denunciare sub pena excommunicationis?

Et an præceptum Inquisitorum circa denunciationem in Confessarios sollicitantes sit perpetuum, & per consequens etiam excommunicatio perpetua, & alij quatuor casus adnotantur circa supradictum Edictum contingentes. Ex p. 4. tr. 5. Ref. 41.

Sup. hoc in med. vers. Vnde.
§. 1. Suppono Edictum Inquisitorum annuale esse, nec finire per terminum injillo appositum, sed durare per integrum annum, cum singulis annis publicetur. Sed difficultas est, quid dicendum si Inquisitores particulares ex negligentia, seu alio capite Edictum non publicarent, an femina teneretur denunciare? Respondeo affirmative non sub pena censuræ, quia obligatio denunciandi hæreticum, vel de hæresi suspectum, est perpetua, licet Edicta non publicentur infligentia censuras, & alias pœnas, & ita docet Freitas in *novis. editione ad tract. de Confess. sollicit. q. 21. n. 44. & 58.* asserens hoc esse verum quoad obligationem denunciandi, non autem quoad incursum censuræ, cum in Edicto non sint contravenientibus infligita, & in Bullis Pontificiis non imponitur pœna excommunicationis in feminam non denunciantem Confessarios sollicitantes.

2. Sed ego puto in tali casu non denunciantes non solum peccare mortaliter ex natura rei, sed in censuras incurrere, quia Confessarii sollicitantes sunt de hæresi vehementer, vel saltem leviter suspecti, ut docet Aloysius Bariola in *tract. de Confess. sollicit. post Flores Inquis. Genueus in praxi Archiep. cap. 66. numero 2.* Modius de *sacris Ordin. cap. 27. numero 6.* Sessè tom. 4. decis. 449. num. 3. Acugna, de *Confess. sollicit. questione 1. numero 20.* Castus Palas *tract. 4. disputat. 9.*
K K 2 punct.